G quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur quàm datur? Sed si quis dixerit, Vt merear iustificationem habeo fidem, respõdetur ei: Quid enim habes quod non accepisti? Cùm ergo fides impetrat iustificationem, sicut vnicuique deus partitus est etiam ipsius mẽsuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici comitante, non ducente: pedissequa, non præuia voluntate. [Iustificeati] inquit, [per gratiam] quæ non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Quæ gratia venit [per redemptionem, quæ est in Christo Iesu,] non in alio aliquo. In eo enim inuenta est redemptio humani generis, id est, in ei⁹ sanguine, quę in nulla alia re poterat inueniri. Non emit nos Christus, quia per naturam ipsius semper fueramus: sed redemit, quia captiui peccato tenebamur. Qui enim aliquem redemit, suũ docet fuisse quem redemit. Ita Christus nos re-
H demit, quia eius eramus. [Quem] Christum [Deus] pater [proposuit] id est, longè ante præordinauit futurum [propitiationẽ] id est, expiationem peccatorum nostrorum: hoc est, vt per eũ ipse pater expiaret nos à peccatis, & propitius nobis fieret. Vel [proposuit] id est, in propatulo omnibus illum posuit [propitiationem in sanguine ipsius] id est, vt ipse esset nõ solũ propitiator, sed etiã propitiatio, & illã propitiationem haberemus in sanguine eius, qui in remissionem peccatorum effusus est. Nam absq; sanguinis effusione, sicut iste dicit apostolus, non fit remissio peccatorum, quia videlicet non nisi per sanguinem Christi dari valet propitiatio & remissio peccatorum. In cuius typo quotiescũque peccata in lege dimitti dicuntur, sanguis hostiæ offertur. Proposuit autem Deus Christũ propitiationẽ per fidẽ, vt qui in eum crederent, ipsi propitiationem hanc haberent. Vel proposuit eum propitiationẽ per fidem in sanguine ipsius, quoniam aliter non
I erit ipse propitiatio alicui, nisi credat eum fudisse sanguinem suum pro redemptione generis humani, & subiũgat huic fidei bona opera, prout poterit. Proposuit inquam eum, id est, in publico posuit per prædicationem apostolorum, hunc esse propitiationem pro peccatis nostris: & hoc fecit [ad ostensionem iustitiæ suæ,] id est, vt per eum manifestaret hominibus suam veram iustitiã, quæ priùs latebat, dũ putarẽt homines ex operibus legis se posse iustificari. Veram ergo iustitiam ostẽdit in Christo credentibus, & ostendit eam esse suam, non hominum, id est, à seipso datam hominibus, non ab ipsis ortã, nec ex legis operibus habitam. Quam scilicet iustitiã ostẽdit [propter remissionẽ præcedentiũ delictorũ] id est, vt remitteret delicta quæ præcesserant non solùm in gentilibus, sed etiam in Iudæis, qui veram iustitiam necdum nouerant. Omnes enim peccauerunt,

Sed per ostensionem suæ iustitiæ placuit Deo, vt K
remitteret illis præcedentes culpas, & iustificaret eos vt deinceps iuste viuerẽt. Præcedẽtia enim ob hoc Apostolus nominauit, ne quis intelligeret illa esse remissa, quæ post acceptam gratiam committit. Præcesserunt delicta, & hoc factum est, [in sustentatione Dei] qui non statim percussit delinquentes, sed diu patienter sustinuit, vt ad pœnitentiam conuerteret. Sustentatione dico, prærogata [ad ostensionem iustitiæ eius,] id est, ad hoc longanimiter sustinuit eos, vt tandem conuersis ostenderet iustitiã suã [in hoc tempore] gratiæ, quam prioribus temporibus non manifestauerat, dum putarent homines se per seipsos posse iustificari. Ad hoc inquam sustinuit & iustitiam suam qua iustificari possent homines, ostendit, [vt sit ipse iustus] id est, iuste agens omnia. Iustum nanque fuit, vt qui in futuro seculo iudicaturus
est singulos secundum opera eorum, in isto seculo L
patienter eos sustineret, & quid agere deberent illis ostenderet. Iustus ergo est in hac sustentatione & iustitiæ ostensione, quoniam omnia quæ facere debuit, fecit. Et per hæc etiam est [iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi: quia dũ sustinet, & iustitiam suam ostẽdit, infundit ipsam iustitiam cordi credentis. Non iustificat eum qui est ex lege, sed eum qui est ex Christi fide, id est, ex fide qua creditur in Christum. Ex hac enim datur iustificatio, & non ex operibus legis aut naturæ.

Vbi est ergo gloriatio tua? Excluſa est. Per quam legem? Factorum? Non, ſed per legẽ fidei. Arbitramur enim iuſtificari hominẽ per fidem ſine operibus legis. An Iudæorũ deus tantum? Nónne & gentium? Imò & gẽtium. Quoniã quidem vnus eſt deus qui iuſtificat circunciſionem ex fide, & præpu M
tium per fidem. Legẽ ergo deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus.

Quandoquidẽ iustitia est Dei, nõ hominis, & est ex fide, nõ ex lege, [ergo vbi est gloriatio tua] ô Iudæe? Id est, vbi est elatio tua, in qua gloriabaris per legis opera te iustificatum? hoc est, nõ habes materiam gloriãdi in lege, quia excluſa est, id est, ciecta & ablata tibi causa gloriandi, eliminata est gloriatio, quam in corde habebas. Et attende per quid. Nam [per quam legem] putas eã excluſam? Putas per legem factorum, id est, operum? [Non] est excluſa per legem factorum, [sed per legem fidei] id est, non per laborem operũ, sed per facilitatem fidei. Lex enim fidei est, qua in Christum credimus, & auxilium gratiæ eius ad bene agendum precamur. Lex fidei est in spiritu iuuante, lex factorum in litera iubente. Quod lex operum minando imperat, hoc lex fidei credendo impetrat.